

*Euntes in mundum universum
prædicate Evangelium.*

✠ Lécio sancti Evangélii secúndum Marcum

16, 9-15

- ⁹ **S**urgens Iesus mane,
prima sábbati,
appáruit primo Maríæ Magdalénæ,
de qua eiécerat septem dæmónia.
- ¹⁰ Illa vadens nuntiávit his, qui cum eo fúerant,
lugéntibus et fléntibus;
- ¹¹ et illi audiéntes quia víveret et visus esset ab ea,
non credidérunt.
- ¹² Post hæc autem duóbus ex eis ambulántibus
osténsus est in ália effigie eúntibus in villam;
- ¹³ et illi eúntes nuntiavérunt céteris,
nec illis credidérunt.
- ¹⁴ Novíssime recumbéntibus illis Undecim appáruit,
et exprobrávit incredulitátem illórum
et durítiam cordis,
quia his, qui víderant eum resuscitátum,
non credíderant.
- ¹⁵ Et dixit eis:
«Eúntes in mundum univérsum
prædicáte evangélium omni creatúræ».

Verbum Dómini.